

lamentis suis, et laceris pannis, et vacua pharetra: sed longe magis ridiculum Chori obsequium, dum varios doloris exprimendi modos, a Xerxe edoctus, adhibet, v. 1039. et seqq. Verum hoc a poeta consilio factum fuisse arbitror, ut Atheniensibus risum moveret; et nescio an eodem fine totidem finxerit Persarum nomina, quae aures Atticas ludicra quadam scabritie titillarent. Videmus igitur quaedam veteris tragoediae, quae circa res ludicas versabatur, vestigia. Eadem fere culpa, nam certe culpa est, Euripidi objicienda, qui locum plane comicum posuit in Oreste v. 1520. Hac nimirum in parte peccavit uterque; et eodem jure, quo Euripides dictus est, etiam Aeschylus ὁ αιγαστὴρ ὁ πατέρης \* dici potuisset.

„Est autem notabile,“ verba sunt Tyrwhitti ad Aristotelis Poetic. p. 135. „in Aeschyli Persis, quae acta est Archonte Menone, Ol. LXXVI. 4. multo frequentiores interset trochaeos, quam in ulla quae exstat Tragoedia. Eandem vero ex antiquissimis earum quas habemus fuisse constat, utpote in qua tertius histrio nusquam appareat.“ Quantum ad trochaeos attinet, si tetrametri innuuntur, de quibus loquitur Aristoteles, memoria virum egregium fefellit: nam in hac fabula non frequentiores quam in priore ex Euripidis Iphigeniis intersetuntur. Neque in Supplicibus quidem Aeschyli tertius histrio usquam appareat; quippe is, qui Danai partes sustinet, scenam linquit post v. 772. ut personam induat caduceatoris, qui post sexaginta versus

---

\* Aristoph. Ran. 842. Aeschylus Euripidem compellat, ὁ στωματιοσυλλεκτάδη, Καὶ πτωχοποιὲ, καὶ ὁ αιγαστὴρ ὁ πατέρης. Ubi Schol. ὁ τὰ δάκη συρράπτων καὶ ἐνδύων τὸν βασιλεῖς. De hoc poetarum vitio vide elegantis ingenii virum, Edvardum Copleston, in Praelectt. Academ. p. 226.